4493
3

INDICIVM proditionum, quas Franciscus Throckmortonus contra Reginæ Maiestatem & regnum concepit & machinatus est, qui de eadem proditione in Iudicium adductus & damnatus est in publica Londinensis ciuitatis Aula, 21. Maij vltime præteriti

1584.

ex Anglica lingua in Latinam versum.

Ad Lectorem.

HAbes in hoc commentariolo (humaniſſime Lector) veram narrationem tibi explicatam proditionum & conatuum Franciſci Throckmortoni, & ſociorũ ſuorum contra Reginæ Maieſtatem & regnum: quæ, cùm ad manus meas fortè peruenerit, a generoſo quodam ad quem Rus miſſa fuerat, typis eandem tradere ſuſcepi, vt ſi quorum opinioni & cogitationibus minimè adhuc ſatisfactum ſit, de rebus in eum prolatis & de cauſæ ſuæ cognitione, hac perlecta (ſi veritas apud eos valebit & ratio) omni dubitatione & ſcrupulo liberentur, qui ex variis rumoribus de criminis ſui genere & quæſtionis ordine ortus eſt. Quod vt pleniùs perſpicias ad inſequentem te narrationem mitto, & ſic te mando Deo.

Literæ a quodam genetoso ex Leonis Collegio ad amicum missæ, de Francisco Throckmortono, capitali de proditione accusato & condemnato.

VNA cum literis ad te primo Iunij datis, particulam misi Iudicij Throckmortiani rationes, scriptam illam quidem a generoso prudenti, & fide digno qui interfuit. Et quoniã mihi scrupulus quidam videtur in opinione tua residere, de momento rerum in eum allatarum, elaborani quo tibi melius satisfieret, vt particularem rei historiam assequerer, & ope amici cuiusdam intimi ad manus meas peruenit accuratissima demonstratio, qua ratione progressi sint qui quæstioni eius præfuerunt ante iudicium, quæ etiam ipse proditionis suæ capita sit confessus, ad quam accessit ita supplicatio ad Regiam Maiestatem 4. die Iunij scripta, in qua agnoscit se contra veritatem & contra officium feciſſe, quod prius sũ indicijs denegauerit, & proprio chirographo idem iterauit, & verum affirmauit paucissimis quibusdam rebus, & ijs nullius negotij detractis, quæ vt mihi quidem videntur omnem addubitationem & scrupulum debent tollere, quem siue tu seu alius quispiam, de damnationis eius æquitate concepit. Quam mihi charus homo semper fuerit probè cognoscis, & quantum consortio eius sum delectatus, propter bonas quibus imbutus erat ingenij dotes, & leporem quo plerúnque circumfluebat cum inter amicos versaretur, nullum vnquam signum aut suspitionem præbens (quantum ego sanè perspicere potui) talibus se rebus fuisse affinem. Et propterea non possum quin eius fortunam tantò magis lugeam, exoptans, vt omnes homines, eius casum suum exèplum faciant, & probè notent, similem miseriam & calamitatem eos plerunq; sequi, qui reiciũt memoriam Dei, cuius te tutelæ committo. Ex Leonis Collegio 15. Iunij 1584.

Tibi amicus fidissimus

VERA ET ABSOLVTA DEmonſtratio proditionum, quas Franciſcus Throckmortonus nuper frequens Londini, machinatus & perſequutus eſt, contra Regiam Maieſtatem & regnum.

CVM improbi & malitioſi rumores & commentarij diſſeminati ſint, de quæſtione quæ in Franciſcum Throckmortonum rectè & ordine habita eſt, qui nuper Londini in publica ciuitatis Aula 21. die Maij capitali de proditione accuſatus & damnatus eſt, vnde ij qui malo erga Regiam Maieſtatem & regnum animo ſunt, falſum conantur & iniurioſum Regiæ Maieſtati & fidelibus ſuis miniſtris crudelitatis in Throckmortonum & iniuſtitiæ nomen affingere, quòd ea quæ in ſe confeſſus eſt indicia tormentis expreſſerint, & ea tamen contra ipſum in iudicio adduxerint pro legittimis proditionis argumentis: quanquam vniuerſi Regiæ Maieſtatis ſubditi, mitem & temperatam rationem recordantes, quam per omne fœliciſſimi ſui regni tempus tenuit, clementiam & lenitatem in omnia criminoſorum genera vitio quodammodo ſibi vertere magis poſſent, quàm contrarium aliquid in ea redarguere: Tamen ij qui conatus & proditiones contra Maieſtatem ſuam probant, vtrámq; partem pro eo ſtudio interpretantur, quo obſeſſos gerunt animos, id eſt, peſſimè. Et quia Throckmortoni cauſa deprauatis

eorum iudicijs in hoc tempore est exposita, & quoniam mendacia & falsi rumores, sparsi in medium, fidem plerúnq; obtinent, donec ipsa veritatis voce opprimantur, operæpretiũ visum est, hoc commentariolo oculis & animis vestris proponere, breuem & absolutam narrationem earũ proditionum quas idem Throckmortonus machinatus & persequutus est contra Regiam Maiestatem & regnum, quásq; ante iudicium suum ipse fassus est, ex quo factum est, vt Regia Maiestas iusta cum ratione moueretur, vt causam eius ad cognitionem vocaret. Patebit item, quam viam Quæsitores sequuti sint, vt eum ad veritatem fatendam adducerent, qua impudentia & quàm falsissimè verba & indicia sua negauerit, & postremò vt noua supplicatione & indicio dictatũ proditionum post damnationem suam facto, conatur Regiæ Maiestati satisfacere, & rationes apponere, quibus adductus prius indicium negauerit, quod posteriori affirmat tamen & confirmat, quæ quidem luculenter satisfacere possunt, si non omnibus, at illis tamen qui non præoccupati aut potiùs præuenenati & cõtagione illiti sunt, médaciorum & rumorum illorum, qui sparsi & dissemināti sunt in gratiam proditoris & proditionis suæ. Hoc igitur notum sit, causam comprehensionis suæ natam primùm ex occulto indicio ad Regiam Maiestatem perlato, esse eum clandestinum mittendarum literarum ministrum inter Reginam Scotiæ & alios, post quod tamen indicium nonnulli menses omissi sunt, priusquam ad eius rei quæstionem vocaretur, quo apertiora interuenirent quibus peteretur argumenta. Quod nõ multò pòst eucnit, & missi viri fide & ordine non

vulgares

vulgares tàm ad ædes eius Londini, quàm Leuſamiæ in Kantia, qui omnia ſcrutarentur & ipſum comprehenderent, ex quibus duo miſſi ſunt ad domum eius prope littus Paulinum, vbi comprehenſus eſt & per alterum eorum ſtatim abductus, alter autem in cubiculo eius permanebat vt chartas, ſcripta &c. veſtigaret, quæ ſuſpitioſos eius conatus melius patefacerent.

Dùm ſcrutantur, duæ chartæ inuentæ ſunt nominibus inſcriptæ nobilium quorundam & generoſorum catholicorum, portus complectentes ad externum militem excipiendum idoneos, vnà cum multis alijs rebus, quæ chartis illis continétur: quarum vna Secretariis literis eſt conſcripta, quam in Iudicio ſuum chirographum faſſus eſt, altera Romanis, quam ſuam eſſe negauit, neque qua ratione ad eum veniſſet fateri voluit, & tamen in indicio ſuo vtramq; proprio chirographo ſcriptam agnouit, & verè proculdùbio. Inuentæ etiam ſunt inter reliquas eius chartas duodecim agnationes de hæredibus regni Angliæ impreſſæ & diuulgatæ per epiſcopum Roſſenſem in patrocinium colorati iuris dominæ ſuæ Reginæ Scotiæ, & alij etiam famoſi libelluli contra Regiam Maieſtatem in oris tranſmarinis impreſſi, & diuulgati, qui cum in manibus hominis tam pernitioſè cogitantis inuenti fuerint, & cum reliquis eius factis & conatibus contra Regiam Maieſtatem comparentur, iudicandum relinquo quem in vſum eos reſeruarit.

Non multò poſt comprehenſionem eius, quærebant ab eo nonnulli Regiæ Maieſtatis priuati Conſiliarij, vnde duas illas portuum chartas habuiſſet: ille autem impudentiſſimè negauit

multis cum execrationibus, se eas nunquam antea vidisse, ad se non pertinere affirmans, sed inculcatas fuisse (sic enim loquebatur) inter chartas suas, per generosos qui domum scrutabantur. Veruntamen cum vehementiùs premeretur, vt veritatem agnosceret, respondit relictas in cubiculo suo se insciente, per seruum quendam suum, qui non multò antè e regno decesserat, (nomen seruo Edwardus Rogers vel Nutby) eiúsq; manu esse scriptas. Et vt hoc commentum aliquo veritatis colore obliniretur, postquam abductus erat in Arcem, tres chartas pictas nactus est, in quarum chartarum tergis hæc ad fratrem suum Georgium Throckmortonum inscripsit, *Quæsitum a me est per quem chartæ illæ duæ complectentes nomina quorundam Nobilium, Generosorum, & portuum, scriptæ erant: Respondi, per seruum meum Edwardum Nutby scriptas fuisse, ex cuius manu tu quoque eas esse cognoscis.* Consilium eius hac in ratione fuit, vt frater mendacium suum confirmaret. Hæ chartæ pictæ interceptæ sunt, & inde aucta conatuum suorum iampridem concepta suspitio, qua de re sicut alijs iustis in eum de causis, cum sæpè coram principibus Regiæ Maiestatis consiliarijs productus esset, & ab eisdem summa cum diligentia interrogatus, & mitissimè, & magna cum charitate admonitus, vt veritatem fateretur, additis etiam promissis de venia ei impetranda, si intima conatuum suorum consilia patefaceret: Sed cum nullis rationibus moueretur, Regia Maiestas prudentiæ consentaneum existimauit, & ad salutem Regalis suæ personæ & status pertinere, vt suis in iure consiliarijs quibusdam traderetur, &

alijs

alijs nonnullis fidelibus ſuis ſeruis & miniſtris qui poteſtatem etiam haberent, vt tentarent ſi tormentis veritatem ab eo elicere poſſent, cum res præſertim tanta eſſet, & inuadendi Regni coniurationem attingeret,&c.

Hij viri, ea poteſtate præditi, pergunt primùm per eam viam, quam priuati Conſiliarij iam antè tentaſſent, ſi fortè perſuadendo poſſent hominem ad indicium mouere: Sed cum experti eſſent eam viam parùm valere, coacti ſunt vt eum in manus illorum traderent quorum officium in Arce eſt torquere eculeum, per quos in eo poſitus eſt, & nonnihil afflictus, non multùm tamen. Nam intra tertium diem priſtinum vigorem recuperauit, neq; peiori habitu fuit quàm ante eculeum, in quo ſi tanta vis eſſet adhibita, quantam ipſe & fautores ſui falſiſſimè loquebantur, aperta rei ſigna per multos annos in corpore ſuo manſiſſent. Primo tempore nihil in eculeo fateri voluit, ſed in priſtina obſtinatione, & diſſimulatione veritatis perſeuerauit. Cùm ſecundò tormentis admoueretur, priúſquam paulò grauiùs diſtenderetur, libenter aſſenſus eſt omnia quæ ſciret de rebus obiectis faſſurũ. Inde ſolutus eſt,& tũ Quęſitores cũ eo egerunt ſecundum capita quæ illis interroganda mandabantur, quæ hic breuitatis cauſa omiſſa ſint, cum huius narrationis finis hoc ſolum ſpectet, vt proditiones & perfida facta Franciſci Throckmortoni tàm antequam in cuſtodia eſſet quàm deinceps aperiantur, & vt legitima & æquiſſima ratio explicetur, qua ſunt vſi Regij Cognitores ad illam quæſtionem deſignati. Et hoc in loco intelligendum eſt, cùm primùm vrgeretur vt diceret per quem & quem ad finem,

portuum

portuum descriptio facta esset, orsus est sine vlteriori aliqua interrogatione quasi historiam quādam explicare, quòd cum per quosdam abhinc annos Spaæ fuisset in Leodiensi Diocæsi, in cōmunionem consilij incidit, cum quodā notissimo proditore Iennayo, de statu Regni huius immutando, & qua ratione id effici posset externis armis, quodq; in eum finē sæpius cum D. Francisco Inglefeildio in Belgia est colloquutus, qui assiduè Hispaniæ Regem in Hispania, & ministros suos in illis regionibus sollicitauit, ad Regnum istud inuadendū, quodq; præterea coniurationem istam cōtra Regiam Maiestatem & Statum literis persequutus est, inter eum & dominum Franciscum Inglefeildium vsque ad duos abhinc annos commeantibus, quódque patrem suum (dum vixit) certiorem assiduè fecit de perfidis suis conatibus, qui (sic enim dixit) nullam spem cernens prosperi euentus, eum hortatus est vt ab illis conatibus desisteret.

Vlterius ité fassus est, patris se consilio & opinione vsum, in Catholicorum nobilium & generosorum nominibus describēdis, & cum eo communicasse portuum descriptionem qui ad exteros milites excipiendos maximè essent idonei, quam adumbrauit tamen & descripsit ex chartis solummodò Geographicis, non ex ipsorum portuum visu & exploratione.

Fassus est item quòd post literarū & nuntiorum intermissionem, qui inter eum & Dominum Franciscum Inglefeildium cōmeare solebāt, frater eius Tho. Throckmortonus tàm literis quàm colloquio, & Thomas Morganus literis (qui in Gallia manentes duces & ministri sunt omnium

harum

harum proditionum) eum edocuerunt certum esse Reginæ Scotiæ consilium, & fœderatis suis in Gallia,& in alijs exteris nationibus,atq; etiam in Anglia,de regno inuadendo.

Quòd ductor in inuadendo, & in omni illo negotio exequendo,Dux Guisiæ esset futurus.

Quòd titulus publicè prætexendus causæ, esset ad Reginam Scotię liberandam,& ad Regiam Maiestatem aperta vi cogendam vt religionis libertatem eis qui Catholici nominantur permitteret, sed summa consilij esset, (cuius mysterium omnibus in initio non erat diuulgandum) vt cum Regia Maiestas repugnaret,eam a Corona sua & Statu dimouerent.

Quod dux Guisiæ manũ cõparasset,duo tamen deessẽt,pecunia,& auxiliũ satis validæ in Anglia factionis,quæ externis se copijs adiungeret: Accessit & res tertia,qua ratione effici posset, vt Regina Scotiæ liberaretur,sine vitæ suæ periculo.

Quòd ad primum defectum,pecuniæ scilicet, missi sunt nunti; a transmarinis oris, cùm Romam, tùm in Hispaniam, & eorum reditus grato cum responso quotidiè expectatus, Hispanienſis item Legatus ad Anglos acuendos vt opes & corpora ad causam afferrent, Herum suum prædicauit non ipsum per se solum nobilitatum aliquod facinus contra Angliam facturum, sed dimidium totius causæ sumptum laturum. Quod ad rem secundam attineret, rationem scilicet satis validæ in Anglia factionis comparandæ, quæ ad externum exercitum se aggregaret, lectus nuntius in Angliam missus est, sub falso nomine a fœderatis in Gallia, mense Augusti vltimè præterito, qui statum & apparatum totius

negotij

negotij ibi initum ſignificaret, & hic promoueret.

Quod Thomas Throckmortonus frater eius, ſecum mandata ſua communicauit, quo tempore in Anglia vltimè fuit, quodq; exinde Franciſcus Throckmortonus hanc in ſe perſonam ſuſcepit, vt negotium ſequeretur, & quantum poſſet ad effectum inter fœderatos in Anglia perduceret, auxilio Hiſpanienſis legati ſibi adiuncto, quem edocuerat quo modo, & quibuſcum ageret, ad validam hoc in Regno fractionem comparandam, quoniam ipſe hominum mentes tentare noluit, ne indicio manifeſtatus, & ſeipſum & cauſam in periculum adduceret, cùm legatus propter publicam quam gerebat perſonam, tutam haberet negotiandi licentiam.

Quod Dux Guiſiæ & alij cauſæ illius principes, quoſdam vbi appellerent locos recuſaſſent, potiſſimùm autem legiſſent Suſſexiam, & oras Arundellio in Suſſexia vicinas, tàm propter breuem tranſitum ab illis Galliæ regionibus vbi Guiſiæ Dux copias ſuas collegit, aut colligeret, quàm propter fauentium quorundam opportunitatem, ad auxiliandum paratorum.

Quod cum in ſe huius negotij perſequendi curam recepiſſet, totam portuum deſcriptionem ad quos appellerent, Hiſpanienſi Legato monſtrauit, qui eum ad illud opus ſtudioſè eſt hortatus, quodq; Legato promiſit ſi ſpatium ſibi ad ver proximum daretur, eos ſe multò accuratiùs deſcripturum.

Quod cum Thomas Throckmortonus hic eſſet, ne negotij procuratio poſita in vnius Thomæ opera, caſu aliquo intercideret, miſſus eſt item a

fœderatis

fœderatis in Suſſexiam Carolus Pagettus, ſub falſo nomine Mopi, quod Thomæ Throckmorto-no occultè ſignificatum eſt, cùm ne rei illius in-ſcius eſſet, tùm ne grauiter ferret, ſocium ſibi la-boris adiunctum.

Quod Hiſpanienſis Legatus certior factus eſt, per fœderatos de aduentu Caroli Pagetti ſub falſo nomine Mopi, & eum Carolum eſſe Paget-tum bene nouit.

Quod idem legatus, vt priùs acceperat, co-gnouit & affirmauit, Carolum Pagettum adue-niſſe, vt portus & regionis oras perluſtraret, ad quas optimè externæ copiæ circa Arundellium appellerent, potiſſimùm autem vt cum principi-bus quibuſdam viris, de auxilio loqueretur.

Idem etiam legatus cognouit & affirmauit, Carolum Pagettum omnia vt in mandatis ha-bebat perfeciſſe, & principes quoſdam viros ſe-cundum munus ſibi impoſitum conueniſſe, & re-diiſſe.

Faſſus eſt item initum inter ſe & Hiſpanien-ſem Legatum conſilium, qua ratione fieri poſſet, vt Recuſantium principes in hoc Regno qui in ſuis prouincijs ſunt πρωτοφύλακες ad primum ex-terni militis appulſi rumorem, authoritatis ſuæ prætextu, & Regiæ ſalutis nomine, copias con-ſcriberent, quas poſtea externo excercitui ad-iungerent, & contra Regiam Maieſtatem con-uerterent.

Hijs paucis capitibus, tota indicij ſui ratio cõtinetur, quæ fuſè per ſeipſum eſt expoſita, cum de nulla particulari quæſtione interrogaretur, ni-ſi de duabus chartis antè recitatis, quæ nomina virorum & portuum amplectebantur. Hic autem intel-

intelligendum est,quòd cum comprehenderetur, nemo de istis proditionibus aliquid compertum habuit,nemo dubitauit,neq; de eius in eo genere scientia cogitauit. Indicium solummodò delatum est,& concepta suspitio,de conatu aliquo inter eum & Scotiæ Reginã machinato, vt ante dictum est, qui vt patefieret, cum sæpè illi imperatum obedientiæ suæ nomine esset, vt omnia narraret, quæ missis acceptísq; inuicem literis cum ea transegisset, libera cum voluntate fassus est se varias ad eam literas misisse,& multas sua opera inter illam & Thomam Morganum in Gallia commeasse, à quo primùm Reginæ Scotiæ est commendatus, neq; pauciores eam ad seipsum scripsisse.Summam item suarum ad eam literarum, & Reginæ ad eum declarauit, quæ mutuæ literæ mysticis semper characteribus scribebãtur, quos characteres,vnà cum simulatis inanium notarum supplemẽtis, & formis Principes & Consiliarios designantibus. ad Regiam Maiestatem sua manu descriptos misit. Indicauit etiam quorundam nomina per quos literas suas ad Scotiæ Reginam perferendas curauit , vt Godfridum quendam Fulgeamum, qui statim post Throckmortoni comprehensionem fugit e Regno, & alterum quendam quem nomine sibi ignotum, per staturam,formam corporis, & vestitum descripsit, & homo ex eo tempore comprehensus & interrogatus,rem fassus est:nomen hominis Guilielmus Ardington.

Quamuis autem omnium horum indiciorum summa,in iudicio eius est proposita & explicata,per Serieantum,Atturnatum,& Sollicitatorem,procuratores Regios, atque ideò minùs necessaria

ceſſaria videri poſſit eorum repetitio, tamẽ quia huius commentarioli finis eſt, vt hoc probetur res quæ in indicio eius continentur, neq; falſas eſſe neq; fictas, prout Franciſcus Throckmortonus impudentiſſimè in Iudicio ſuo aſſeuerauit, affirmans omnia mera fuiſſe commenta, a ſeipſo ad fugiendam tormentorum vim excogitata, hæc cauſa fuit, cur hoc in loco recitarentur, vt de argumentis, ſuſpitionibus & circumſtantijs meliùs iudicari poſſet, cùm res cum conſequentibus compararentur, vtq; inde fraus proditoris, & æquiſſima & honorifica Maieſtatis ſuæ ratio, & fidelis & honeſta miniſtrorum ſuorum opera in proditione iſta veſtiganda eluceret.

Inprimis verum eſt, neq; à ſeipſo denegatum fuiſſe eum Spaæ, circa tempus illud quod apponit, in eoq; loco cum Iennayo contuliſſe conſilium, & cum Domino Franciſco Inglefeildio in Belgia, literas etiam ad Dominum Franciſcum Inglefeildium ſcripſiſſe, literáſq; ab eo accepiſſe. Nam ſi negaret, optimis argumentis conuinci poſſet. Per multos enim ſuæ gentis homines, ciues Anglos, hoc in eo notatum eſt, ſemper cum Anglis proditoribus & fugitiuis tàm in illis regionibus quàm in Gallia, verſari ſolitum. Si quibuſcum igitur ſe ſociauit intueamini, & religionem eius cum eorum comparetis, de moribus eius vt par eſt vnuſquiſq; iudicabit, & conijciendum eſt illos homines, perpetuos coniuratores contra Regiam Maieſtatem & regnum cognitos, a quo propter proditiones ſuas & immanitatem, iuſtiſſimè exulant, in concilijs & conuenticulis ſuis exilij huius mentionem non omittere, & de rationibus cogitare, quibus in patriam reſtitui poſſint:

in

in quam nullum eos meritum viuente Maiestate sua (quod Dei gratia longissimè faciat) potest eos (sine summa Maiestatis suæ misericordia) restituere. Quæ igitur consilia Throckmortono, cum Domino Francisco Inglefeildio, cum Iennayo, cum Liggonio, cum Owino, & similibus esse potuerunt qui assiduè eius in Gallia & Belgia conuictores fuerunt? Scripsit literas ad Dominum Franciscum Inglefeildium. Quem ad finem? Duos Legatos Londini frequentauit, quorum ope literas quotidiè misit, & e transmarinis regionibus accepit. Ad quos? aut a quibus? Certè a Thoma Morgano, & Thoma Throckmortono Lutetia, hominibus Maiestati suæ & consiliarijs suis probè cognitis pro notissimis proditoribus, Duci Guisio ab intimis, omnium harum proditionum & inuadendi regni consiliorum machinatoribus. Quarum pro rerum certa cognitione, non Francisco solùm Throckmortono gratiam debemus (quanquam & ipse etiam multa de illis explicauit) sed authoribus alijs multò grauioribus.

Quod Dux Guisiæ regni cum externis copijs inuadendi partes in se susceperit, quarum stipendium a Papa & Hispaniæ rege solueretur, quod vnum caput est Throckmortiani indicij, quódq; ipse primus vt verum fatear Regiæ Maiestati patefecit, si hoc commentum dixerit, falsus tenebitur. Nam ex quo rem illam patefecit, plures de eadem nuntij ad Maiestatem suam missi sunt per exteros Principes, amantissimos Maiestatis suæ vicinos & amicos, & multis alijs modis & rationibus per Legatos & seruos suos, qui in externis regionibus versantur.

Si negauerit (quod & fecit) nullam se hijs de rebus notitiam habuisse, cum indicium suum ederet, non est credibile. Nunquam enim adhuc Throckmortonus pro Propheta habitus est, vt ea prædiceret quæ postea euenerunt.

Ad Hispanienſem Legatum sæpissimè ventitauit, & quamdiu Londini fuit, bis vnaquáq; septimana, cùm rariſſimè. Hæc assidua Legati frequentatio, ad permutationem pecuniæ pro fratre suo pertinere non potuit, perindè vt in iudicio suo testatus est: alia suberat causa. Cùm comprehẽderetur, arculam habuit viridi holoserico coopertam, quæ singulari cum astutia per ancillam a lecti latere ablata est, (cùm tamen vnus e generosis qui ad eum comprehendendum mittebantur in cubiculo esset, neque fraudem persentiſceret) quæ arcula non multò post comprehenſionem eius, a quodam Iohanne Meredicho, Franciſci Throckmortoni ſectatore, ad Hiſpanienſem Legatum delata est: & cur ad illum, ſi res in ea latentes lucem non formidaſſent? Cur arculam in domo manere non ſunt paſſi? Si domus non placebat, cur eam potiùs ad Hiſpanienſem Legatum, quàm in alium aliquem tutum locum miſerunt? Probabilis ſuſpitio est, arculam iſtã illùc remotam, non ſine Fra. Throckmortoni mandato, quanquam eam Meredithus deportauerit, qui probè cognouit quantum pondus rebus ineſſet in arcula latentibus, quantúmq; patefactæ periculum Throckmortono attuliſſent, atque idcircò ſtatuit eas in tuto loco reponere, ex quo facilè vt rebatur recuperari non poſſent, & apud hominem cauſæ quam ſpectabant, probè gnaro. Poſt arculam traditam, Meredithus fugæ ſe dat:

Nam vt rei veritas intelligatur, proditionum illarũ conſcius, & ſocius fuit, cui Franciſcus Throckmortonus tempore comprehenſionis inopinatò oppreſſus, & coactus vt gradus raptim aſcenderet, ad literas quaſdam corrumpendas in quibus ad Reginam Scotiæ myſticis characteribus deſcribendis eo tempore verſabatur, vt ipſe faſſus eſt, cui inquam inopinatò vt antè dixi comprehẽſus, & per vim e domo abductus, aut ipſos myſticos characteres tradidit, per quos literas ad Scotiæ Reginam erat deſcripturus, aut literas illis characteribus ad eam ſcriptas: Meredítho igitur fidebat vt homini factorum ſuorum conſcio.

Intelligendum item eſt, Throckmortonum vehementer poſt comprehẽſionem ſuam fuiſſe ſollicitum, ne arcula iſta caperetur. Nam cùm per duos aut tres dies in ædibus generoſorũ alterius, qui ad eum comprehendendũ miſſi ſunt cuſtodiretur, priuſquã in Arcem incluſus eſſet, permiſsũ ei eſt, vt cum quodam eius in iure Procuratore colloqueretur, qui quoſdam ad eum codices attulit, aut chartas codicum more ſcriptas, quarum legẽdarum ſtudiũ ſimulabat. Sed ea nõ erat cauſa cur procuratorem accerſiuerat. Nam dum codices perlegeret, chartulam quandam in eos intruſit, his aut talibus verbis inſcriptam, *Aueo ſcire an arcula ſit ſalua.* Abiens Procurator & ad ædes Throckmortoni accedẽs, non procul a loco quo cuſtodiebatur remotas, & codices aperiens, hanc chartulam excuſſit, quam exceptam cuidam ex Franciſci Throckmortoni ſeruis tradidit, ſed arcula erat antea ad Hiſpanienſem legatum tranſlata. Ex quo colligi poteſt, quæ illi cura huius arculæ fuerit, quantumq; ſua interfuerit res in eadem

dem & ſcripta cælari. Cum interrogaretur de arcula iſta,& rebus in eadem incluſis, primò negauit vnquam ſe talem arculam habuiſſe: cum rem autem videret teneri manifeſtam,faſſus eſt arculam, & quaſdam in ea literas fuiſſe dixit, quæ ad manus eius propter Scotiæ Reginam a Thoma Morgano peruenifſent,vnà cum alijs item literis & chartis, ſed ſuſpitio eſt, quædam eum de iſta arcula cælaſſe.

Quòd Carolus Pagettus ad malos conatus in Regnum trāſſretauit, prout Throckmortonus in indicio fatetur, commétum eſſe non potuit,nam eo ipſo tempore de quo loquitur, Pagettus occultè & ſuſpitioſè in regnum appulit,per quindecim ſolùm dies permanſit,tentauit quodammodo Guilielmi Shelleij mentem pernoſcere, num adduci poſſet vt proditionibus iſtis obſecundaret, quanquam Pagettus perfidos ſuos conatus directè Shelleio non aperuit. Omnia igitur Throckmortoni indicia non fuerunt commenta, & ad tempus excogitata.

Sed quoniam duæ illæ chartæ in Iudicio eius prolatæ, quæ portuum ad copias excipiēdas idoneorum deſcriptionem continebant, eum apertiſſimè condemnant, & argumētum afferunt manifeſtiſſimum,totius proditionis conſcientiam ad eum pertinere, hoc in mētem veniat, quod vnam ex chartis Secretarijs literis conſcriptam ſuam agnouit, alteram autem Romanis ſcriptam literis abnuit. In qua infra caput Ceſtriæ,&c. hoc ſcriptum eſt, *Cum externæ copiæ aduenerint,Ceſtria capietur.* Quid autem ſibi volunt hæ voces,*Ceſtria capietur*, cum charta Secretarijs literis cōſcripta, cum illa altera Romanis ſcripta literis fuerit col-

lata; cuius hæc est inscriptio, *Nomina nobilium & generosorum in omnibus prouincijs qui idonei sunt, quibuscum hac de re agatur?* (quanquam vt verum dicam vtraq; charta eadem res continet, licet Romana paulò sit fusior.) Quæramus igitur qua de re? Necessaria sequitur responsio, *Ad auxilia cũ externis copijs iungenda, quæ venient ad inuadendum regnum*, nam & alia etiam in eadem charta est inscriptio, *Portus in singulis oris ad copias excipiendas.* Iam statuendum relinquo, quem ad finem hæc hominum nomina, portuum descriptio, aditus, magnitudo, quiq; vẽti in eos ex Hispania, Gallia, Belgia secundi flant, ad quem inquam finem hæc omnia a Throckmortono sunt descripta & exposita, vtraque charta manu eius propria erat descripta, Secretaria autem exemplum tantum, a Romana desumptum.

An non probabile quæso est, chartas eum istas cum Hispanienſi Legato communicasse perinde vt fassus est, cum reliquos suos perfidos conatus, & machinationes ad eum detulerit, & arculam proditionum in illius potissimùm custodia tutam putauerit? Conijcendum est neminem ingenio adeò simplici esse, vt secus iudicet, ni partium studio corruptus, proditionẽ istã cupiat defendere.

Nunc autem vt innotescat, quo animo homo iste erga Maiestatem suam fuerit, intelligendum est quod Franciscus Throckmortonus cum conspirationis suæ rationem Regiæ Maiestati indicasset, & iam grauaretur quòd omnia tam planè patefecisset, inter reliquum sermonem in istas voces erupit, *Vtinam in patibulum sublatus fuissem, cum primùm de rebus quas indicaui sum loquutus.* Cumq; Regia Maiestas ad eum crebrò miserit, &

veniæ

veniæ etiam ſponſionem obtulerit, ſi vniuerſam coniuratorum turbã & ſocietatem apperiret, hoc argumẽto ad Maieſtatem ſuam vſus eſt ſe omnia pate feciſſe, Dixit enim quod cum indicijs ſe ſuis in legum periculũ iam ante induxerit ad domus & familię ſuæ grauiſſimã ruinã, mirari ſe quî fierĩ poſſet vt vlla in Maieſtate ſua ſuſpitio remaneret ſe quicquam celaſſe. Sed quo magis eis perſuaderet qui ad eum miſſi ſunt, nihil amplius habere ſe quod celaret, hijs ad eos verbis ſemel vſus eſt, magno cum animi impetu, *Nunc cum perſonæ conſilia patefecerim, qua mihi in terris nihil fuit amabilius* (de regina Scotiæ loquebatur) *quamque nullam tormentorum vim effectũram putaram, tantum vt læderem quantum indicio meo læſi, nullam cauſam video cur cuiquam parcam, ſi quid in eum haberem: cumque fidem meam erga eam violarim, ſi ad patibulum mihi eundum ſit, nihil moror.* Cumq; primùm proditiones ſuas fateri inciperet, quod fecit admodum grauatè, & coram omnibus cognitoribus nõnulla declaraſſet, venit ei in mẽtẽ hoc petere, vt vnũ ex eis aſſignarent, qui indiciũ ſuum ſolus exciperet, quod conceſſerunt. Itaq; cum a loco vbi per eculeum ſedebat ſecederent, hoc Italico prouerbio vſus eſt, *Chi a perſo la fede, a perſo l'honore, id eſt*, Qui fidem violauit, honorem violauit. Sẽſus erat verborum (vt colligi poteſt) fidem dediſſe futurum ſe proditorem, neq; proditiones indicaturum: poſtq; ad indicium perrexit, vt ante memoratum eſt.

His argumẽtis, ſumma proditionis eius capita, rationes & adiacentia complectẽtibus, qui inofficioſis animis & ſtudijs non auferuntur, liquidiſſimè videbunt, quàm falſiſſimè & impudentèr in-

dicij ſui veritatem in iudicio negauerit, cùm Regiæ Maieſtati crudelitatem exprobraret,& in miniſtris ſuis multa in cauſæ eius cognitione falſò coargueret.

Ratio qua mouebatur, vana erat ſuſcepta opinio, quod cauſa eius legis periculum euaſiſſet, propter moram inter indicium ſuum & iudicium interpoſitam,nixus Parliamẽtiſcito 13. anno Regni Maieſtatis ſuæ lato, in quo quædam eiuſmodi conditionis proditiones fiunt & nominantur, vt nemo de illis criminibus infra fines Maieſtatis ſuæ perpetratis,in iudiciũ adduci debeat,niſi Reo indicta cauſa fuerit intra ſex mẽſes crimen ſuum proximè ſequentes, neq; inſuper in iudicium adduci debeat,niſi crimen teſtimonio & ſacramento locupletum duorum teſtium comprobetur,aut libera Rei confeſſione.Qua in re vehementer errauit. Edoctus eſt enim a domino qui iudicijs præeſt,& reliquis iudicibus cauſæ ſuæ cognitoribus,proditiones de quibus ille poſtulabatur, vindicari Parliamentiſcito 25. anno Eduardi tertij lato, quod nullã talem temporis præſcriptionem neq; teſtificationem requirat.

Hoc in loco fefellit eum peritia ſua, & conſilij illius memoriam amiſit, quod quidam ex Cognitoribus ei dabãt,qui fortunę eius miſerti(propter bonas animi dotes quæ in eo variæ lucebant)affirmabant nullam viam ad vitam ſuam redimendam paratiorem relinqui, quàm ſi humiliter ſe abijceret, & crimen agnoſceret, quam viam poſt primum ſuum indiciũ aliquantiſper tenuit,& iam poſt dãnationem ſuam noua ad Maieſtatem ſuã ſupplicatione 4.Iunij ſcripta, eandem renouauit. Supplicatio verbatim, manu ſua ſcripta, hæc eſt.

AD

Ad clariſſimam ſuam Maieſtatem, imo, ad ipſas ſuas Regias manus.

CLariſſima Princeps mitiſſima mea domina, quoniam mihi omnium afflictorum ſubditorum tuorum miſerrimo, iuſtè & ordine per Maieſtatis tuæ leges damnato, vlterior nulla defenſio relinquitur, niſi ſummiſſio: Ne dedigneris, clariſſima Princeps, eandem humaniter accipere, quam hic omni cum humilitate in terram abiectus ad manus clariſſimæ tuæ Maieſtatis mitto, orans atque obſecrans, vt quemadmodũ Iuſticia a Celſitudine tua tanquam a fonte ad cauſæ meæ cognitionem dimanauit, ſic vt ab eodem fonte aliquam ſtillam gratiæ & miſericordiæ excipere poſsim, ad magnum illud & graue facinus mitigãdum, de quo per Maieſtatis tuæ leges iuſtè damnatus ſum, aliquam inquam particulam, ſuetæ illius manſuetudinis tuæ, quam plurimis ex afflictis tuis ſubditis conceſſiſti, & paucis denegaſti. Et quamuis imprudentis adoleſcentiæ præceps temeritas, ab ea me fide pellexerit, quam & natura a me, & officium erga Maieſtatem tuam poſtulabat, legitimam meam & natiuam tremendam Principem, & quamuis naturalis vitæ meæ defendendæ cura, me ad falſam & inofficioſam quarundam rerum negationem impulerit, quas antea humilime eram confeſſus: Humilimè tamen clariſsimam Maieſtatem tuam obſecro, vt Deum imitata (cuius imaginem cùm propter fœlicem quem tenes locum, tùm ratione ſingularis prudentiæ & eximiarum virtutum quibus te Deus & natura vberrimè ornarunt) nobis in terris repreſentas, calamitoſum meum caſum commiſereare, qui nunc omnium ſubditorum tuorum ſum miſerrimus, vtque benignè mihi ignoſcas & condones, qui non ſolùm meipſum morte dignum confiteor,

ſed quo pœnitentiæ meæ & funeſtè afflictus animus celebrator ſit, ne vitæ quidem prolationem vllam exopto, ni id Maieſtate tua fiat libentiſsima, ſed multiplicari potius tormenta mihi per leges tuas adiudicata velim, ſi id Maieſtati tuæ ſatiſſacere poſſet, pro tetro illo quod feci facinore & de quo iuſtiſsimè per leges tuas ſum dãnatus, aut Maieſtatis tuæ offenſionẽ aliquantulum mitigare, qui ne vitam quidem ſine tuo fauore exopto, & moriens ab intimo precabor pectore, vt meus exitus ſalutis tuæ initium ſit, & mea mors vitæ tuæ munitio, & ſingularum omnipotentis Dei benedictionum, in te & florentiſſimam hanc remp. multiplicatio.

Maieſtatis tuæ luctuoſiſſimus
ſubditus quod te offenderit.
Franciſcus Throckmortonus.

Vnà cum prædicta ſupplicatione miſit ad Maieſtatem ſuam narrationem propria item manu ſcriptam, quæ ſummam continet præcipuorum proditionis ſuæ capitum, quas antè eſt confeſſus, patris tantùm accuſatione detracta, & rebus nonnullis leuioribus vt eum proditionis ſuæ minimè conſcium probaret, & ſummatim, hæc ſunt ipſa eius verba.

Indicium eius.

VNica cauſa cur primam illam coniurationis formam comminiſcebar, & iniuſtè patrem meum perſtrinxi, hæc erat, quòd partim exiſtimabam chartam tantò antè ſcriptam, nullam in me vim per leges habituram, ſed præcipuè quia ſtudioſè tegere volebam nominum illorum & portuum deſcriptionem Romanis in literis,

ris,quæ multò poſt tempus a me commemoratũ ſcribebatur,occaſione colloquij inter me & Hiſpanienſem Legatum de hac poſtrema coniuratione.

Commercium meum cum Regina Scotiæ ad Natalitias domini per duos abhinc annos cœpit, myſticos characteres a Thoma Morgano habui e Gallia: Primas literas per Godfridum Fulgeamum accepi, per quem plerúnq; & reliquas, illis ſolummodò exceptis quæ ad me venerũt per G.L. qui mihi narrauit ſe eas per hominem a me in ſuperioribus indicijs deſignatum accepiſſe,cuius nomen(Deum teſtor)ignoro,& vnde ſit.Quæ autem ad me literæ venerunt,abſente Fulgeamo, ſub inuolucro Fulgeami nomine inſcripto includebantur, & mihi per Robertum Tunſtedum ſororis ſuæ maritum tradebantur, cui & ipſe etiam literas tradidi quas ad Reginam Scotiæ habebã, & ſemel aut bis,vt memini,per vnũ ex ſeruis meis (nomen hominis Butlerus) miſi literas pro Regina Scotiæ, ad ædes prædicti Tunſtedi propè Buckſtons, charta deſuper ad Tunſtedum interiùs autem literis ad Fulgeamum implicatas. In illis literis quæ ad me a Regina Scotiæ venerunt, literæ ad G.L. ſæpè fuerunt incluſæ,& aliæ plerũq; ad Th.Morganum.Reginæ literæ hæc tenebant,&c.Sed priuſquam ad eam reſcripſiſſem, de morte ducis Leuiniæ famam accepi, & vna nuntium a Thoma Morgano cum quo ſumma conſpirationis meæ erat, (nam cum fratre nullũ mihi vnquam fuit commercium niſi quod Morganus res a me ſibi ſcriptas, cum fratre meo plerunq; communicauit) quod hortationibus Papæ & regis Hiſpaniæ inductus Guiſiæ Dux, in ſe ſuſcepiſſet

Guilielmus Ardington.

cepiſſet iter illud exequi, quódq; opinio erat proximam viam ad Reginam Scotiæ liberandam, & ad res in Scotia inſtaurandas eſſe hanc, ſi Angliam primùm aggrederentur. Itaq; ex me ſcire cupiebat, vtrùm exiſtimarem catholicos copijs iſtis cum aduenirent auxiliaturos, cum præſertim ſi res benè eueniret, Religionis inde nanciſcerentur libertatem, & quātum hoc auxilium putarem futurum tam equeſtre quàm pedeſtre, & quem opportuniſſimum locum arbitrarer quo appellerent. Reſpondi, quòd illo tempore nullam proſperi euentus ſpem cernebam, quòd catholici pauidi erant, & diſperſi, & res talis, quæ periculoſè cum multis communicaretur, ſine quo nullum videbam quod de numero copiarum fieri poſſet iudicium, & præterea, præſens inde periculum in Scotiæ Reginam naſci, incommodum (mea opinione) inſanabile.

Rem totam proximis literis Scotiæ Reginæ ſignificaui, quæ reſpondit accepiſſe ſe nuper initum tale quidem conſilium, &c.

Poſt illam meam ad Morganum reſponſionē, petijt vt cum Hiſpanienſi Legato colloquerer, cui iſtinc commendatus eſſem futurus. Hinc prædictus Legatus me accerſiuit, & in eum ſermonem eſt ingreſſus, vt non dubitaret quin facillimum eſſet magnam hic mutationem vel exiguis cum copijs facere, præſertim cùm homines belli inſolentes eſſent, & tumultus tantùm eſſet terroris allaturus vt ſi hoſtis appareret, victoria ſtatim ſequeretur, neq; dubitandum eſſe quin tali tempore catholici animos ſuos nudarent, cùm res ad Religionis illorum libertatem pertineret. Rogauit itaq; vt exponerem quid de hominum animis ſentirem,

sentirem, & quos locos idoneos putarem ad copias illas excipiendas, quásq; in istis oris munitiones cognoscerem captu facillimas.

Respondi, quod expeditio illa multis incertis rebus niti videbatur, si ex certa auxilij in hoc regno intelligentia penderet, de quo nemo certum aliquid posset promittere, nisi omnium catholicorum animos tentasset, quod fieri non posset sine manifesto patefaciendi conatus periculo. Quod autem ad viros potentiores attineret, neminem me noscere ex eis qui in huius rei societatem adduci possent, qui plures quàm assiduos suos comitatus possent afferre. Optimam hanc vnam rationem esse dixi, si ij qui causæ fauerent & magnam in prouincijs suis fidem obtinerent, copias Maiestatis suæ nomine conscriberent.

Sed quoniam hæ res incertis niterentur fundamentis, quæ in tam grandi negotio minimè erant adhibenda, hoc inprimis concludendum asseueraui, vt quæ mitterentur copiæ eo essent numero, vt qualecunq; hîc futurum esset auxilium, ipsæ tamen per se quemuis exercitum contra eas missum possent sustinere, itaque ne pauciores essent quàm quindecim hominum millia. Quod ad appellendi locum attinebat, illud omne consilium a copiarum numero pendere dixi, qui si magnus esset, nõ referre quocunq; loco appellerent: sin exiguus, tum eas oras esse legendas quæ huic causæ maximè fauerent, & a Regijs copijs essent remotissimæ. In quo vtrasq; partes laudaui versus Septentriones.

Quod ad Reginæ Scotiæ periculum a me cõmemoratum spectaret, nullum se remedium scire profitebatur, nisi fortè ducentis equitibus per

vim

vim eripi posset. Respondi nullam eius rei spem esse quód neminem viderem in illa regione (rem autem vicinos desiderare) cum quo tutum esset conatum illum communicare.

Postremò hæc erat conclusionis nostræ summa vt eum singulatim de portubus edocerem, & post aliquot dies cum ex eo comperirem copias institutas multò minores esse quàm pro eo quem requirebam numero, & nonnullam etiam cõtroversiam inter Papam & Regẽ Hispaniæ de sumptibus in bellum illud ortam, dixi tutissimam viam & minimi periculi esse, vt supplementa in Scotiam mitterentur, vbi exiguæ copiæ magnam facturæ essent mutationem, rebúsq; ibi ad Regis voluntatem stabilitis in eius potestate futurum putaui, vt & perpetuo bello, & incursionibus hoc regnum ita infestaret, vt Regia Maiestas ad libertatem Reginæ Scotiæ concedendam cogeretur, & ad omnia reliqua quæ catholici sibi putarent honestè postulanda: ad quod multùm dixi valiturum, si eodem tempore armati nonnulli in Hybernia exponerentur, qui quamuis idem periculum quod priores sustinerent, rem tamen tanti sumptus Maiestati suæ futuram, tantámq; occasionem virium suarum distrahendarum, vt minores copiæ quàm antè commemoraui opportuno hic in loco expositæ, hominum mentes labefactarent, & (si quæ res alia) ad reconditos suos sensus proferendos adducerent.

Consilium de Hybernia penitùs reiecit, consilium autem de Scotia non improbauit, hoc autem perpetuò amplectebatur, adducendas huc copias esse: itaq; a me vehementer contendit, vt sigillatim de Cumbriæ & Lancastriæ portubus inquirerem,

rem, quíq; homines illic habitarent religionis fautores, quæq; loca captu facilia & ad munitionem essent idonea.

Cum proximè ad Hispanienſem Legatũ irem, offenſum eum inueni quòd in Gallia res ſine eius conſilio eſſent concluſæ, dixítq; mihi Parſonum Ieſuitam Romam profectum vt Papæ mentem cognoſceret.

Non multò pòſt tranſfretauit frater meus Thomas, vt rationes quaſdam quæ inter nos manebant finiremus, vtq; mihi perſuaderet vt vnà cum eo tranſirem, pro certo affirmans (quantum ipſe perſpicere poſſet) nullam ſpem eſſe de proſpero coniurationis euentu. Dum hic verſaretur, & ego conſilium cum Scotiæ Regina ad eandem liberandã communicarem, Hiſpanienſis Legatus me accerſiuit, mihíq; Mopi aduentum declarauit ad Suſſexiam explorandam, & portus & quantum conijciebat ad potentiſſimum quémq; in illa regione tentandum, in quo offendi videbatur quòd illud negotium ſibi non fuiſſet aſcriptum, quem illi in Gallia præ ſe ferebant ſummum ſpei ſuæ caput eſſe. Poſtea Legatus mihi narrauit hominem illum eſſe Carolum Pagettum, quódq; redijſſet, neſcire autem ſe quibus in locis fuiſſet, & eodem tempore literas a Morgano accepi, eundem hominem eſſe Carolum Pagettum, ſed hoc affirmabat ídq; Legato vt confirmarem admonuit, non veniſſe eum ad inclinandos hominum animos, ſed ad regionem viſendam, inclinandorum enim hominum curam ipſi ſoli relictam. Quod rogauit feci, & Legatus me admonuit, vt de prædictis nominibus & portubus cogitarem, atq; addidit ſi accuratè eos ad ver perficerem, me ſibi

ſatiſ-

ſatiſfacturum, neq; enim ante illud tempus geri aliquid poſſe putabat.

Frater rationibus ſuis mecum finitis, reuerſus eſt,& hæc inter nos (Deum teſtor) concluſio fuit,vt ſi coniuratio non ſuccederet ante proximum ver finitum, res meas diſponerem, & tranſfretarem,& hanc ob cauſam poſtquam ille diſceſſiſſet rus me contuli, vt prædia mea illis in locis venderem,& locarem,atq; generoſorum & portuum præcipuè Anglicorum deſcriptionem apportarem,quàm per duos ante annos deſcripſeram, & Fecknameæ in Muſæo meo relinquerem.

Cùm exemplum Fecknameæ non reperirem, Londinum reuerſus ſum, vbi notam nominum inueni Secretarijs literis conſcriptam, quam ad Hiſpanienſem Legatum tuli, atq; ibi alteram illam chartam in Muſæo eius deſcripſi, Cæſtriam capiendam deſignans,propter rei vt putabam facilitatem, & vt illi in eo negotio animos adderé. Deſcriptionem autem illam cum eo reliqui, & pollicitus ſum me eam ante ver proximum perfecturum,ſi tamdiu in Anglia manerem,atq; hoc addidi in ſuſpitionem me veniſſe, & diſceſſum cogitare,a quo me vehementer diſſuaſit, pro certo affirmans,ſi res non ſuccederet & ſe etiam diſceſſurum.

Vtrũ dominus Franciſcus Inglefeildius huius coniurationis particeps fuerit,ignoro: Sed hoc ſcio (ſic enim affirmauit Hiſpanienſis Legatus) cõmercium domino Franciſco Inglefeildio cum Legato fuiſſe, per totum tempus quo hic verſabatur.

Hiſpanienſis Legatus mihi narrauit, audire ſe Boreales Walliæ populos bene de cauſa ſentire, itaq;

itaq; portuum in ea regione descriptionẽ requirebat. Respõdi, eandẽ me temporis spatio pro illo curaturũ, quanquã nihil inde boni expectandum esset, propter rationes quas in primo meo indicio apposui, atq; inde factũ est, vt pridie quàm comprehenderer, Legatus mihi chartam Romanis literis conscriptam remiserit, rogãs vt eandem per otium accuratiùs describerem, quæ causa fuit vt ex arcula mea abesset. Scripta in arcula eadem fuerunt quæ antea sum confessus, & ad manus meas venerunt quo indicaui modo.

Humiliter obsecro clarissimam suam Maiestatem, vt afflictio quam tuli, & res a me patefactæ, ad Maiestatis suæ & Status salutem, quæ (vt videtur) a meipso primùm indicatæ sunt, valere possint ad lenissimam Maiestatis suæ misericordiam erga me euocandam, & ad calamitosæ fortunæ miseri sui subditi meorumque alleuamentum, ni id Deus ob peccata mea prohibeat.

Iudicent igitur omnes, qui praua mente non sunt præditi, vtrùm Throckmortonus sit iustè cõdemnatus, atq; vtrùm indicia sua (quamuis præ se fert fuisse ea per vim extorta) legibus contra eum valere debeant. Cõiurauit Statum euertere, exteros ad inuadendum regnum adducere, Maiestatem suam a legitimo & naturali suo iure & hæreditate ad Coronam Angliæ remouere, & peregrinam personam in loco suo collocare. Sed hanc vltimam rem de peregrina persona collocanda, fortasse negabunt. Notetur igitur in tota conspiratione, hoc maximum ne coniuratio progrederetur impedimentum fuisse, quòd nullam viam inuenire possent, qua Scotiæ Regina salua euaderet. Si igitur tam periculosæ proditiones a

tormentis

tormentis expressæ in lucem venerint, [illegible] ca principibus ratio relinquitur qua proditiones & conatus contra Statum & personas suas elicere possint, vbi probabilem suspitionis materiam [illegible] sunt, vt in causa Throckmortoni ex visa portuum descriptione &c.) an Lex proditorem perstringit? an non? Si quis in hac quæstione negatiuam partem tuebitur, is tibi sit proditorum & proditionis amicus, & Reginæ Maiestatis hostis, quam Deus diutissimè protegat, & inimicos suos funditùs euertat.

FINIS.

The Grenville Library